


05

A

2495





DE
LIBERTATE
RELIGIONIS,

SUB PRÆSIDIO
M. JOH. GEORGII
LUDOVICI,
Treptoâ Pomerani

publicè disputabit

MICHAEL Grûnenberg/
Maslov. Pom.

Ad Diem XXVI. Septembr.

ANNO 1688.

In Auditorio Veteri.



WITTEBERGÆ,
Typis MARTINI SCHULTZII.

DE
LIBERARIA
RELIIGIONIS

SUB PARADISO
M. JOH. GEORGI
LUDOVICI



58420 A 50

BRIDGE
THE MATTER





Si studium gentis Muhammedanæ veneficio maximopere sit consecratum, teste *Frantz Ferdinand von Troilo in Itinerario suo Orientali p. m. 177.* Attamen adhuc maximopere operam dat cultui divino, dum nimirum illud peccatum omnium gravissimum putat, quod quis in violandis legibus Muhammedis committit. Vid. *Plurimum Reverend. Dn. Parens in summario Religionis Turcicæ Articulo secundo §. 13.* Confer. *Sweiggerus in Alkor. Muham. lib. 3. cap. 23.* Quantum etiam Populus Judaicus mente agitaverit seditionem, illud satis superq; colligere possumus ex *lib. 5. Egesippi von der Zerstorung Jerusalem cap. 1. seqq.* Attamen non satis mirari possum, quod ille populus adhuc maxima flagraverit cupiditate conservandi Religionem; *Josephus enim octavo decimo Libro de Antiquitatibus Judæorum cap. 4.* Sequentia de eodem affirmare haud erubescit; Pilatus autem, inquit, Judææ Rector exercitum de cæsaria secum assumens tendit ad Hierosolymam, ut leges solveret. Nam secum statuas, quæ in signis militaribus inerant, intromittit. Imagines enim aut aliquid hujusmodi facere Lex nostra prohibet; propterea etiam ante illum omnes Judææ Rectores sine signis ingrediebantur mœnia civitatis. Primus autem Pilatus, ignorantibus populis introgressus, signa quæ secum apportaverat in civitate constituit. Illi vero, mox ut rem cognovere, congregati veniunt Cæsariam, diebus plurimis supplicantes, ut imagines de Hierosolymis auferentur. Pilato vero abnuente & dicente, quod in injuriam Cæsaris hoc fieret si fieret; Judæi vero nullo modo discedunt, tunc ille occultè in insidiis armatos milites collocavit, cumq; in tribunali sedisset (quod ei fuerat ornatum in stadio) nam eum locū insidiis, quas præparaverat, aptum esse perspexerat; Judæiq; iterum supplicarent, signo dato milites processerunt, Judæisq; undiq; circumdatis cepit Pilatus mortem comminari, nisi quievissent. At illi mortem se potius electuros, quam constitutiones legis suæ transgressuros firmabant. Tunc Pilatus admirans fortitudinem Judæorum in conservandis legalibus constitutis, confestim imagines de Hierosolymis auferre præcepit, cæsariamq; perduci. Cum quibus optimè consentiunt ea quæ habet *Ant. Citat. Lib. 17. cap. 8. Loc. Citat.* Licet etiam gentilibus vitia ex secratis-

fima curæ & cordi semper fuerint & adhuc sint; licet se maximopere
 homicidiis & blasphemis obstrinxerint. *Doct. enim Daniel Kramerus*
 in seiner Pommerischen *Chronica cap. 25.* Seqventia de pomeranis scri-
 bere non veretur; Als Bischoff Otto/ inquit, seinen Abschied von den
 Pomnern genommen hatte/ und die bekehrten Stäte mit Priestern/ so er
 hinter ihm gelassen/ versorget/ haben es dieselben auch an ihrem Fleiß zu
 Lehren/ und den Christlichen Gottesdienst fort zubringen/ nicht ermangeln
 lassen/ und nicht allein an den Orten / welche schon hatten zuglauben an-
 gefangen/ sondern auch bey denen/ so noch unbekehret waren: Unter wel-
 chen woll etliche solchen Glauben angenommen/ etliche aber haben die
 Priester/ so zu ihnen gekommen/ getödtet/ auch unter andern einen gekreuzi-
 get und also hefftig die Diener des Wortes verfolget. *Et pag. subsequente*
61. de Julinensibus memorat, quod Idolo suo nomine Triglass de
novo cultum religiosum exhibuerint, & Christum inauditis blas-
phemis affecerint. Edoardus Brerewoodus Anglus quoque quando Ido-
latriam Gentilium ante oculos omnium sistere conatur, in Scruti-
nio suo religionum c. 2. in seqventia erumpit verba; Si maritimas partes
Asiæ excutiamus, omne illud quod sumto à Pechora flumine initio,
orientem versus ad Oceanum & inde ad Meridiotalisimum imò Asiæ
punctum, promontorium nempe Cincapuræ hinc iter occidentem
versus, secundum oram maris Australem ad ostia Indi fluminis de-
currit, totum sibi idololatræ vendicant. Nihilominus tamen quod
adhuc Gentiles delectentur Religione, illud satis indicat Cicero libro
2. de natura Deorum, quando differens de religione & superstitione,
inquit; Alterum est vitii nomen, alterum autem laudis. Quia igitur
etiam illi, qui sunt extra ecclesiam religionem semper magni fecere,
propterea & nos meditationem religionis & quidem liberæ haud ne-
gligendam esse arbitramur, considerabimus verò in præsentis causas,
quare non possit ulla necessitas aut coactio impedire, quod voluntas
spontanea & libera secum meditatur in honorem Dei, ut verbis Julia-
ni Apostatæ sano hoc sensu utar, quæ habentur apud Sozomenem lib. 6.
H. E. T. cap. 27.

§. II. Libertatis vocabulum verò ut & rem ipsam hoc nomine expref-
 sam, hic longè lateq; exponere atq; expositam ventilare, præsentis
 nostri instituti non est, cum jam id à nobis factum supponamus in
 peculiari quadam *dissertatione de Voluntatis humanae determinatione ob-*
jectiva §. 8. & sequent, cum qua conferri merentur Autores ibidè à nobis
 adducti.

adducti. 'Quibus' etiam addi potest *Antonius Le Grand. in institutionibus Philosophicis secundum principia Cartesiana parte decima Articulo decimo nono pag. m. 569.* Qui libertatis humanæ existentiam optimè roborare videtur, quando in sequentia erumpit verba; Hujusmodi homines, qui nempe homini liberum denegant arbitrium, dignos esse, qui stipiti alligentur & ibidem tamdiu fustibus cædantur, donec ab ejusmodi liberari expoſtulent & faterentur in percutientis potestate esse à verberibus desistere. Sed cum jam dum perventum fuerit ad illam actionem moralem, quæ sub specialiori ratione nobis contemplantibus se sistit; Igitur etiam nec libertas in communi nobis erit exponenda, nec ratio nostri instituti permittit eam in medium afferre libertatis speciem, quæ alias audit libertas à servitute. Et frustraneum foret eam hic tradere libertatem, quæ dicitur talis à necessitate: sed potius ea ad præsens nostrum forum pertinet libertas, quæ audit Philosophis libertas à coactione, quæ ipsa illi gaudere dicuntur, qui agunt sine vi & coactione. Et hoc sensu vocabulo illo utuntur Autores qui libertatis religionis mentionem faciunt. Sic enim piæ memoriæ Imperator Constantinus *apud Socratem Lib. 1. H. Eccles. T. cap. 20.* inquit; Se non velle Alexandrum atq; Arium cogere, ut debeant omnibus modis consentire optimæ suæ quæstioni. Et Maximinus Imperator *apud Eusebium lib. 9. H. E. cap. 9.* Ita pro Christianis decernit, simulata etsi humanitate; Quoniam eò magis gens Christianorum propagatur & crescit, quò maxime putatur inhiberi: Ideoq; volo, *pergit*, ut si quis blandis ad Deorum cultum persuasionibus acquiescit, recipiatur: Nullus vero cogatur invitus, sed habeat in arbitrio, quo quisq; velit ritè colere Deum. Et *apud Theodoretum lib. 7. H. E. T. cap. 40. pag. m. 480.* Orthodoxi presbyteri atq; Diaconi maximopere conqverantur de tyrannico Valentis ut & ejusdem Præfectorum animo, quod nempe illos cogerint Arianam fateri doctrinam.

§. III. Circa vocem Religionis autem probè annotanda putamus esse ea, quæ habet Christianus *Becmanus lib. de originibus Latine Lingvæ sub litera L. p. m. 443.* quando sequentem in modum differit; Religio, Autore *Augustino de vera Religione cap. 55.* Et *Lactantio lib. 4. cap. 28.* dicitur à Religando, & significat omnia illa pietatis officia, quibus Deo & proximo obligamur & per quæ etiam Deo quasi colligamur. *Marcus T. Cic. verò lib. 2. de natura Deorum Num. marginali 5. p. m. 40.* Qui totos dies, inquit, precabantur & immolabant, ut sui liberi sibi superstites essent,

superstitiosi sunt appellati; quod nomen postea latius patuit. Qui autem omnia, quæ ad cultum Deorum pertinerent, diligenter pertractabant, & quasi relegabant, sunt dicti religiosi ex relegendo; Ut eligentes ex eligendo, tanquam à deligendo diligentes, ex intelligendo intelligentes. Cui posteriori tamen derivationi merito præferimus priorem; Tum, quia posterior destituitur cognatione litterarum: Tum quia prior derivatio optimè insinuat naturam religionis, quod Deo nos nempe adstringat quasi & alliget ita, ut sic religio notet istud debitum & officium, quo Deo obligamur, & per quod quasi Deo uniamur, uti loquitur. *B. Meisnerus part. 2. Philosophia Sobria Sect. I. Quest. 10.* Et sic quoque commodum suppeditat Argumentum ad rejiciendam absurditatem *Bellarmin. qui lib. 2. de Monachis c. 2.* Vocem religionis à nativâ suâ significatione prorsus deturbat & peregrinam penitusque alienam affingit. Hisce enim utitur verbis; Religio naturæ est status hominum ad perfectionem Christianam per paupertates, continentiam & obedientiam vota tendentium. Ubi etiam atque etiam hoc addendum venit, quod nos in præsentibus, dum nimirum in Philosophia versamur, non attendamus significatum illum, quem hæc vox in foro Theologorum obtinet, ibi enim annotante *B. Doct. Quenstedio in System. suo Theol. part. 1. cap. 2. Sect. 1.* Nihil aliud importat quam rationem colendi verum Deum in verbo Dei præscriptam, qua homo à Deo per peccatum avulsus, ad Deum per fidem in Christum Deum & hominem perducitur, ut Deo reduniatur & eodem in æternum fruatur. Cæterum observes, quod hic non adeo primam vocabuli religionis attendamus impositionem, quam respicere videtur *Becmannus*, dum religionem exponit per officium pietatis & Deo & proximo præstandum. Sed potius quod hocce vocabulum in censum nobis veniat eatenus, quatenus insinuat cultum Deo debitum ex lumine naturæ nobis innotescentem. *Conf. Hobbesius lib. de Cive c. 15. §. 8.* Quæ religio quomodo à superstitione differat, vide apud *Magnificum nostrum Zieglerum in Notis ad Hugonis Grotii librum de jure belli & pacis p. m. 26.* Ubi adhuc illud observat *Aul. Gellius noctium Atticarum lib. 4. cap. 9.* quod ille, qui superstitiosa religione sese allegaverat, dictus fuerit religiosus, iste verò qui rectè de Deo sentiebat, religens.

§. IV. De cætero etsi omninò res ita sese habeat, quod per legem quandam ipsi rationi sanæ inscriptam, æternum numen à nobis postulet sui cultum, uti illud demonstratum legere licet apud *B. Meisn.*

in *Dissertatione sua erudita de legibus lib. 3.* Interim tamen illud negare non possumus, quod, sicuti Julius Cæsar Vaninus Neapolitanus Philosophus ac Medicus binis libris editis Atheismum sparfit & eundem cum aliis tredecim sociis per orbem propagare cœpit. Cujusmodi homines erudite refutavit *Excell. noster Profess. Donati in dissertatione quadam de notitia Dei naturali §. 63.* Ita etiam procul dubio dentur homines, qui debitam æterni Numinis venerationem ex animo evellere pertinaci moliuntur ausu; sed numne hic ipse cum effectu succedat conatus ac omnis mentis applausus deleatur, id & negamus & pernegamus, atque propriam eorundem, qui nobis contradicunt, etiam in hoc ipso contradicendi actu, consulimus conscientiam. Tum & illud largimur lubentes, posse Deum justissimum Judicem ob antegressa scelera, vel affectatum ac pertinax studium negandæ existentia divina, omni divina cognitione hominem vel privare, vel ita eam impedire, ut ne in effectum erumpat, neque adeo colendi numinis lubido maneat residua. Ejusmodi tamen extraordinarius casus ordinario processui, ac consueti probandi modo, à mentis dictamine desumpto, derogare non potest.

§. V. Hujusmodi valde absurdam sententiam, nemo quidem saniorum Philosophorum defendere conatur, attamen *Antonig LeGrand in Institutionibus Philosophicis secundum principia Cartesiana part. 10. Artic. 12.* Eandem ad justitiam refert, quando *numero sexto* ita inquit; justitiæ annectuntur tanquam Species Religio, Pietas, Observantia, Amicitia, Gratitude. Verum quia observante *Nobiliss. Pufendorf. lib. 1. de J. N. & G. c. 7. §. 7.* Actio justa ea dicitur, quæ ex prohæresi applicatur ad personam, cui illa debetur. Religio verò secundum *Gregor. de Valentia Tom. 7. Disput. 6. quæst. 1. punct. 1. col. 1607.* formaliter importat Dei verè cogniti rectum cultum. Confer. *Excell. noster Prof. Nohrensee in Comment. M. S. in Lipsii Politicam.* Quapropter etiam propter planè diversas Entitates unum ex hisce sub altero, tanquam species sub genere, contineri non potest. Accedit, quod justitia fluat ex actione quæ ex determinatione voluntatis proficiscens vel conveniens, vel disconveniens censetur legi: Et sic peculiarem quandam ejus constituat affectionem. E contra vero Religio dicitur esse peculiare quoddam & ab omnibus aliis distinctum officium morale. *vid. Pufendorf. lib. 1. de officio hominis & Civis c. 4. Ut & Besoldus Ictus in Synopsi politica c. 2. de religione p. m. 206. It. Cellarius in politica sua succincta lib. 2. cap. 14.*

§. VI. QVI-

§. VI. Quibus ita positus, animus jamjam convertendus foret ad
 expositionem quidditatis hujus religionis, nisi nos ita procedentes
 offenderet definitio quædam pseudopoliticorum, quæ illi teste doct.
Daniel Clasen lib. suo de religione politica cap. 4. Num. 26. Religionem Poli-
 ticam vocant fictum vel simulatum cultum divinum, qui masculè à
 clericis ore, fortiter à Magistratu defenditur, ad hoc, ut bonum pub-
 licum & privatum conservari vel etiam augeri possit. Verum circa
 hanc ipsam definitionem annotandum esse putamus, quod uti *Ma-
 gnif. noster Walther. in controversiis suis Metaphysicis manuscriptis c. 1. Quest.*
 4. Erudite demonstravit; Ens à ratione conceptum non esse medium
 quoddam inter reale & nihil, sed potius propriè loquendo non Ens:
 Ita & nos optimo jure asserere possumus, quod religio ficta planè pro
 nulla sit habenda. Simulationem quod spectat, illam in Politica
 conversatione admitti posse in tantum asserere possumus, in quantum
 illa ipsa non provenit ex pravitate ingenii, nec etiam tendit in pro-
 ximi destructionem. Verum ejusmodi simulationem nullo modo in
 religione esse admittendam, illud ipsum vel quatuor argumentis e-
 vincere conatur *Christianus Matthias Dithmarsus Prof. Ordin. in Academ.*
Altorffina Exercitationum Ethicarum disputat. 2. Colleg. tertio, disquisitione
*secunda, ubi adducit Augustinum damnantem Priscillianistas, lib. de men-
 dacio c. 2. §. 11.* Qui olim docuerunt, in corde retinendum esse, quod
 verum est, ore autem ad alios proferre falsum, nullum esse peccatum.
 Imò negandum esse Christum, ut possit inter amicos latere Christia-
 nus; quibus Hæreticis etiam hocce tanquam consuetum proverbium
 adscribitur; Jura per jura secretum perdere noli. Reliqua quod con-
 cernit verba. In illis explicandis atq; refutandis maximopere quidem
 occupatus est modo citatus *Clasen loco adducto p. m. 58. & seqq.* Verum
 brevibus hoc ipsum fieri posse facile apparet ex eo, quod annotante
Philippo Du Trieu manu ductione ad Logicam tractatu secundo part. 2. cap. 1.
Artic. 2. lege 3. definitio nihil continere debeat quod superfluum est.
 Jam vero etsi omninò religio summæ potestati curæ & cordi esse de-
 beat, tum quia vicarius Dei est Magistratus, tum etiam ut subditis eò
 melius frenum quasi imponere & bonum Reipublicæ conservare pos-
 sit, uti id accuratè observavit inter alios *Joh. Frid. Hornius lib. 2. de civi-
 tate c. 5. §. III. p. m. 385.* Etsi etiam clerici jubeantur veritatem religionis
 defendere, nisi saltem legitimus usus in nefarium degeneret abu-
 sum: Attamen sine hisce omnibus quidditatem religionis satis percipi
 posse, id vel ex subsequentiis satis constabit.

§. VII. Re-

§. VII. Rectius igitur definimus religionem quod sit officium hominis, quò Deo verè cognito rectum cultum præstat. Et quidem dum conceptum communem religionis facimus officium, eò ipso vestigia premimus *Nobiliss. Pufend. qui loc. adduct. l. 1. c. 4. §. 1.* asserit, quod officium hominis erga Deum, quantum ex naturali ratione id investigari potest, duabus absolvatur partibus: tum ut de Deo rectè sentiamus, tum ut actiones nostras ad ipsius voluntatem componamus. Requiritur verò ad hoc, ut nempe Deum rectè colere possimus, cognitio existentia divina (quam in præsentis satis demonstratam supponimus *ab Excell. Profess. Dom. Donati in peculiari quadam dissertatione habita de existentia Dei*) quoniam voluntas honorandi eum, quem non putamus esse, nulla esse potest: Uti rectè ait *Thomas Hobbes lib. de Cive c. 15. de religione §. 14.* Unde illi ipsi Philosophi, qui mundum non creatum sed æternum esse asserunt, (contra quos vehementer disputat *Adrian Heerebord Meletemat. Philosoph. Volum. 1. disp. 19.*) dici non possunt Deum coluisse, quoniam æterni causa esse non potest, & consequenter dum negarunt causam mundi, negarunt etiam ipsam existentiam divinam. Sic etiam Deo verum cultum non præstitit Trismegistus, qui referente *Jul. Cas. Scalig. Exercitat. 363. de subtilitat. ad Cardanum* Deum pessime describit quod sit is, cujus medium est in centro, circumferentia ubique. Eo ipso enim dum medium attribuit infinito & pariter etiam circumferentiam; eo ipso facit ex infinito Deo finitum & ex Deo non DEum. Ubi tamen observandum, quod trinitatem tanquam summum mysterium ratio nullo modo penetrare possit; uti id rectè observat *Clariss. Slevogt disputat. Academ. Theoreticarum disputat. 11. §. 10.*

§. VIII. Post hæc si quis Deo rectum cultum præstare vult, certus etiam esse debet, hocce infinite existens numen habere essentiam sibi convenientem (quam bonitatem à *Meiero Pneumaticæ partis specialis c. 4. præcep. 4. & ejusdem exegesi §. 1.* Ex ipsa divina essentia infinita merito demonstratam supponimus hic in foro morali) idque ideò, quod teste *Aristotele lib. 2. Rhetoric. c. 4.* neminem magis amemus quam illum, qui bonus est vel ex virtute, vel existimatione aut apud omnes, aut optimos, aut apud eos qui suscipiuntur ab ipsis, aut apud eos qui suscipiunt illos. Deinceps debet quoque ejusmodi homini religioso constare, bonum huncce Deum vivere, & vivendo velle & volendo conferre ipsi tantum ea quæ expediunt, ut sic acquiescens colat Deum & colens in ejusdem voluntate acquiescat. Insuper necesse quoque est ut homo religiosus certus sit Deum non tantum in se rectam habere voluntatem; Sed etiam id quod rectum est à creatura rationali exigere, bonis

B

præ-

præmium proponens ac malis supplicium minans (quam divinam justitiam optime demonstratam de Deo lege apud *Magnif. nostrum Walther. in præceptis suis Pneumaticis manuscriptis parte speciali c. 7. Præc. 5.*) ut possit sibi persuadere, Deum & posse & velle sibi illud tribuere, quod piè ac virtuosè vivendo sibi acquirere cupit; Uti hoc modo accuratè de spe humana differit *Excellent. noster Kirchmaier. in sua Pathologia Veteri & nova Articulo 165.* Hisce perspectis, etiam ille, qui Deo rectum cultum præstare conatur, ut certò sit necesse est, ejusmodi Deum gaudere omnipotentia, quæ se ad omnia possibilia extendit (quam erudite confirmatam lege apud *Clariff. Scheibler. in opere Metaphysico part. speciali l. 2. c. 3. Art. 1. & 2.*) debet vero ita homo religiosus certus esse de extensione omnipotentia divina ad omnia possibilia, ut etiam sciat, posse illam ipsam actuare cuncta ac singula, quæ cæteris non repugnant attributis divinis: quoniam non majorem incutere homini potest timorè, quam potentia illius, quæ ipsi male agenti malum debitum scilicet pœnæ irrogare valet. *Conf. Clariff. Pascha in peculiari disputatione Ethica de affectibus humanis hic Wittebergæ habita Aphoris. VI. §. V.*

§. IX. Demum etiam homo religiosus debet cognitum habere, Deum & existere hujus universi conditorem (quod ipsum demonstratum, satis putamus à *Jacobo Martini Exercit. Metaphys. l. 2. Exercit. 5. Theoremate 1.*) Non tantum vero existere conditorem mundi, sed & conservatorem ejusdem & rectorem: Cujusmodi cognitionem lumini naturæ non impossibilem esse demonstrat accurate *Clariff. Slevogt loco ante adducto §. 21. & seqq.* Ubi ad exemplum Aristotelis ut & Platonis provocat, quorum posteriorem *l. 10. de legibus* ita loquentem introducit; à ratione, inquit Plato, alienum est, Deum, qui sapientissimus est, & de rebus suis curam gerere & vult & potest, existimare, de magnis tantum rebus providere, rerum vilium verò, quæ facilius curari possunt, curam abjicere, velut ignavum quendam. Ita inquam debet constare ei, qui rectum cultum Deo præstare vult, & de suo Creatore & conservatore ut & rectore; Ut & debitum suum obsequium eidem præstet & nihil faciat, nisi quod justissimus hic conservator ac gubernator maxime velle videtur. Dum vero dicto modo homo suum colit & Creatorem & Conservatorem & Rectorem, dicitur ipsis Philosophis præstare Deo cultum internum; cui adhuc addere debet externum, & huic optimo Creatori gratias agere debitas, pro tot innumeris bonis ab eodem acceptis. Tenetur ipsius voluntatem per actiones suas, quantum fieri potest, exprimere, sive eidem debitam præstare obedientiam. Obligatus est, ut divinam magnitudinem & admiretur & celebret. Ut preces
ad

ad ipsum fundet' pro obtinendis bonis & averruncandis malis, *Conf. Nobiliff. Pufendorf. lib. 1. de officio hominis & civis c. 4. §. 7.* Illud vero non capio, quod *Hobbes. loc. citat. c. 15. §. 15.* Ad externum cultum divinum inter alia etiam referat sacrificia: Cum tamen illa non sint juris naturalis, sed potius ceremonialis, id quod vel tantum constat ex eorundem duratione, pariter quoque; ex *Levit. c. 1. 2. & seqq.* Nec etiam ad cultum naturalem, sed potius ad cultum Israelitis in V. T. revelatum spectant. De cujusmodi cultu tamen religioso & Christianis; revelato nobis in presenti sermonem non esse, vel ex solo §. constat 3.

§. X. Numne vero adhuc modo explicatum cultum Deo rectè præstandum violentis manibus aliquis vel trahi possit vel debeat, hoc est, Numne religio sit libera? Illud à nobis in presenti affirmandum esse, Thema nostrum satis insinuat. Cum primis dum non tantum reliqua hominis officia, sed & officium, quod Homo omnipotenti suo creatori ac optimo Reçtori præstare tenetur, illi ipsi hominis parti suam debet originem, quæ intrinseca gaudet libertate: jam verò uti nulla vis voluntatem intrinsecè liberam trahere potest ad aliquam actionem præstandam; ita quoque; hoc ipsum asserendum erit de officio hocce quod Deo præstare, vi juris naturæ, debemus. Nec hocce firmisimum assertum debilitare potest assertio Bellarminiana, qua distingvit inter primum convertendos & jamjam antea conversos, illos cogi aut puniri haud posse asserens; Hisce vero, si deficiunt, irrogandam esse omnino pœnam, illos etiam cogi debere. Quoniam sive religio consideretur in eo, qui primum jam est convertendus, sive respectu illius, qui jam est conversus, adhuc tamen est & manet actio voluntatis liberè sese determinantis, in qua cogenda frustra illi ipsi Tyranni omne studium atque operam consumunt. Id quod optimè perspectum erat Imperatori Valenti dum & Gentilibus & Hæreticis & Judæis licentiam dedit suo recepto more colendi Deum. Uti hoc ipsum pluribus recenset *Theodor. l. 8. H. E. T. c. 3.* cuius vestigia premens Gratianus, una cum juniore Valentiniano lege sancivit, ut una quæque religio licitè sacra celebraret: Id quod legere licet apud *Socratem lib. 9. Hist. E. T. cap. 2.* Et Episcopus Romanus vehementer increpat orientales Arianos, quod viros religiosos ab Ecclesia ejecissent, & cogendo illos in suas partes trahere voluissent, teste *Sozomen. l. 4. H. E. T. c. 15.* Accedit, quod observante *Pufendorfi l. 1. de jure natura & Gentium c. 6. §. 5.* Coactio extrinsecus tantum voluntatem concutiat, secus ac obligatio, & in electionem Rei ingrata per solum sensum imminentes mali impellat: Quo imminente malo, voluntas adhuc retinet li-

bertatem eligendi illud, quod sibi propositum fuit sub metu mali, an-
non. Quapropter sanè cæci & absurdi sunt Muhammedani, dum
Christianos, in potestatem suam perventos, vi circumcidere conan-
tur & sic ad suam trahere Religionem: De illis enim *Frantz Ferdi-*
nand von Troilo in Itinerario suo Orientali p.m. 645. sequentia scribere
non erubescit; Ich weiß mich zu erinnern/ spricht er/ daß zu Algier über
15. Sclaven mit gewalt sind beschnitten worden/ und sie aus den armen
Christen gezwungener Weise Muselmänner gemacht haben/welches zur
Straffe allen Christen widerfähret / so etwan sich einer an einem oder
dem andern Türcken oder Muselman mit Worten oder That vergrei-
fet/ oder ohn gefehr wider ihren Mahometh etwas saget / so sie also fort
für eine grosse Gotteslästerung anziehen.

§. XI. Pro hacce nostra assertione etiam illud maximopere militat,
quod ejusmodi homines, qui conantur cogere proximum ad rectum
& verum cultum Deo præstandum, injuriosi sint in ipsum Deum;
qui solus sibi reservavit potestatem subitaneâ quâdam actione pro-
libera sua voluntate & infinita sapientia, hunc vel illum singulari &
miraculoso modo citra ordinarium verbi ministerium, vel verbo suo
immediate à se ipso sive sine, sive cum miraculis & signis prolato vel
alio quodam inusitato modo, potentia tamen non simpliciter irresi-
stibili, convertendi. Et hoc pacto ad verum ac rectum cultum Deo
præstandum, perductus fuit Paulus, de quo Spiritus S. *Act. 9. v. 3. 4.* se-
quentia notat; Et cum Paulus iter faceret, contigit ut appropinqua-
ret Damasco: Et subito circumfulguravit illum lux de cælo. Colla-
psusq; in terram, audivit vocem dicentem sibi, Saul, Saul, quid me
persequeris? Dixit autem, quis es Domine? Dominus autem dixit:
Ego sum Jesus, quem tu persequeris, durum est tibi contra stimulum
calcitrare. Is tremens ac stupens dixit, Domine quid me vis facere?
Et Dominus ad eum, surge & ingredere civitatem, & dicetur tibi quid
te oporteat facere. *vid. v. 5. & 6. loc. modo citato.* Cui similia exempla addu-
cta lege apud *B. D. Quenstedium in System. Theolog. Part. 3. c. 7. Sect. 1. Thes. 7.*
Et hoc ipsum argumentum maximopere quoq; urget Antonius Cæ-
sar apud *Eusebium l. 4. H. E. c. 13.* in Epistola quadam peculiari ad Asia-
ticos pro Christianis, quando ita scribit; Ego quidem non ambigo
etiam Diis ipsis curæ esse, ne quis noxius lateat, multo enim magis i-
psis convenit punire eos, qui ipsis immolare nolunt, quam vobis. Sed
vos confirmatis eorum, quos persequimini, sententiam, quam de vo-
bis habent, dicentes, vos impios & sine Deo esse. Unde & optabilius
habent animam ponere pro Deo suo, & mortem libenter amplecti,
quam

quam vobis talibus acquiescere & in vestrae religionis jura concedere. Dum cultum vero immortalis Dei, quem Christiani colunt, expellitis & deturbatis usque ad mortem cultores illius observantiae: Super illis plurimi ex provinciis Judices etiam venerabili patri nostro scripserant. Quibus rescriptum est ab eo, ut nihil omnino molestiae hujuscemodi hominibus generarent, nisi forte arguerentur aliquid adversum Romani Regni statum moliri. Sed & mihi ipsi de his, quam plurimi retulerunt. Quibus ego, paternam secutus sententiam, pari moderatione rescripsi. Quod si quis persistit hujuscemodi hominibus absque ullo crimine movere negotia, ille quidem qui delatus pro hoc nomine fuerit absolvatur, etiam si probetur id esse quod ei objicitur, Christianus. Is autem qui crimen obtendit, reus pœnæ ipsius, quam objecit, existat. Quod argumentum quoque proculdubio movit Maximum, qui cernens quomodo justina moliebatur summè impia ac crudelia in longum diversis machinis & oppugnationibus nequam, ac vellens se exuere Tyranni infamia & legitimum sese ostendere principem, quod datis literis impium protestetur inceptum, fidem Dei impugnari, & statuta Ecclesiæ Catholicæ subruui. Id quod legere licet apud *Rufinum l. II. H. E. c. 16. Editione Basileensi.*

§. XII. Nec silentio involvenda sunt illa incommoda, quæ sæpius, imò sæpissimè ex eo oriuntur, quando Tyrannicus Magistratus iisdem, qui sibi subjecti sunt, non vult concedere liberum suæ religionis exercitium, non tam creberrimè enim in vicinis constantinopolitanae urbi provinciis, ut & civitatibus ortæ fuissent actiones, cædes, pugnae sollicitationes, ut & intestina bella; nisi Macedonius ille Hæreticus pœnis affecisset eos, qui ipsi consentire fugiebant, & non solū orthodoxos, sed etiam Novatianos, sciens eos quoque consubstantialitatis nomen suscipere: *Teste Socrate l. 5. H. E. Trip. c. 31.* Nunquam Maximus Imperator sumfisset exercitum atque hoc ipso fugasset Valentinianum in Illyricum, nisi hic bellum egisset contra Ecclesias, ac Magniloquum Ambrosium ubique in sua religione turbasset, ideo, ut scilicet relicto vero cultu divino assensum præberet suis Hæreticis opinionibus: Uti pluribus illud recens & *Theodoretus l. 9. H. E. T. c. 21.* Nunquam etiam Geiserichus Vandalica multitudine opimus effectus, & se Regem vocans terræ ac maris insularumque multarum, Theodosium contristasset. Nunquã Attilas Scytharum, vir fortis atque superbus, deposito Bdella Seniore fatere, solus Scytharum, quos & Hunnos vocant, principatus Regno, per Thracem discucurrisset & omnem civitatem & ca-

stra in servitutem suam rede-gisset, præter Adrianapolim, & Thera-
cliam, quæ quondam Perinthus vocabatur; Nisi, Theodosio juniore
permittente, vi militum & gladiatorum Episcopi Orthodoxi coacti
fuissent ad subscribendum doctrinæ hæreticæ Eutychianæ, id quod
legere licet apud *Nicephorum in H.E. de incerto interprete c. 6. p. m. 600. & 601.*

§. XIII. Eo ipso vero dum ita propositum Thema nostrum confir-
mamus, plane non approbamus illorum impium conatum, qui vesti-
gia premunt seditiosi illius Ægyptii, de quo in *Act. Apost. c. 21. v. 38.* Spiri-
tus S. asserit, quod ante nonnullos dies tumultum concitasset, & edu-
xisset in desertum quatuor millia Sicariorum. Quam Historiam no-
bis prolixius exponit *Eusebius l. 2. H.E. c. 21.* Ita differens; Gravius omni
vastatione afflixit Judæos Ægyptius quidam falsus Propheta, qui cū
venisset ad Judæam homo magus, fidem sibi Prophetæ Magica arte
conscivit, & continuo ad triginta millia virorum congregans & du-
cens eos per desertum, pervenit cum ipsis ad montem, qui vocatur
Oliveti, paratus irruere Hierosolymam, ac vi & potestate urbem sibi
subjicere, simulq; Romanorum præsidia, ac plebem Tyrannidi suæ
subjugare fretus per omnia his quos secum eduxerat satellitibus.
*Conf. Josephus l. 20. Antiq. Judaicarum c. 6. Item Egesippus l. 2. de Desolat. Hieroso-
myt. c. 7.* Sed potius omninò statuim⁹ Magistratum obstrictum esse ad
tollendos ejusmodi seditiosos hæreticos è mediò, quoniam non tan-
tum omnibus hominibus implantatum jus naturæ maximopere in-
tendit felicitatem temporalem, quæ nullo modo melius conservari
potest, quam per tranquillitatem publicam, sed etiam teste *B. Messa.*
in Dissert. sua erudita de legibus l. 4. Sect. 1. qv. 1. Lex Civilis tanquam con-
stitutio quædam legi naturali conveniens, pro publica sua Autorita-
te præscribit saltem illud quod tendit in salutem & commodum com-
munitatis *Conf. Jul. Pacia à Beriga in Analyti institutionum Imperialium l. 1. tit. 2.*
præcep. 2. & 3. Quapropter & recte Felix conatum illius Ægyptii, modo
adducti, prævenit, confestimq; cum armatis obviam pergens, secum
etiam plebe reliqua conspirante, congressione facta, Ægyptium qui-
dem cum paucis infugam vertit, peremptis vero aliis, aliis etiam captis
temere cepta rectissime restrinxit. *Conf. Ann. prig. cit. in locis ante adductis.*

§. XIV. Nec etiam eorundem conatum laudamus, qui non tantum
apud se perniciosos alunt errores; Sed eadem lue etiam alios inficere
conantur; sed potius asserimus, quod prudentia Judicis cavere de-
beat, ne horum effrenatus furor magis magisque in dies alatur. Unde
rectè conciliū Nicænum, præsentem imperatorem Constantino, damna-
vit

vit seductorem Arium, referente illud *Theodoret. l. 2. H. E. T. c. 5. p. m. 308.*
Et Cyrillus cum suis meritò in concilio Ephesino Nestorium Sedu-
ctorem damnarunt; Id quod legere licet apud *Socrat. l. 12. H. E. T. c. 5.*
Pariter etiam Synodus quarta Chalcedonensis mensi Octobri habita,
præsente Imperatore Martiano & Senatu, sententiam protulit contra
Eutychem eundemq; deposuit, & suos in Gangris relegavit. vid. *Ni-
cephorus in H. sua E. de incerto interprete c. 7. p. m. 602.* Et ut in V. T. legibus
mortis pœna fuerit dictata Sacrorum desertoribus ac hæreticis sedu-
ctoribus: Uti id aperte constat ex *Deut. c. 13. v. 5.* Attamen sane illud
Sanctionis Mosaicæ speciale mandatum tantum ad Judæos pertine-
bat, tanquam homines, in quorum cœtu Ecclesia debebat ordinariè
tantum conservari. Pertinebat quoq; rigor hujus legis præcipuè ad
Judæos, tanquam populum Idololatricum & ad contumaciam alias
proclivem, ut eò melius coerceri posset. Unde nec in illo rigore lex
dicta ad tempora N. T. trahi debet: uti hoc optime ostendit *Antonius
Faber ICtus l. 2. de relig. regenda in reb9 publicis p. 49.* Quando asserit; Chri-
stum ipsum legis hujus duritiem in N. T. temperavisse *Matt. 13. v. 29. &
30.* Ubi Salvator prohibet Zizanium ante temp9 Messis evellere. Quod
verò hîc per Zizanium intelligantur Hæretici, id *B. Baltbas. Meisn. part. 3.
Philosophia Sobria Sect. 2. Quest. 6.* Quinq; integris ostendit argumentis.

§. XVI. Provocant vero insuper ad exempla illorum Regum, qui
bellum remotis gentibus induxerunt ob religionem. Ubi in primis il-
lud erit observandum; Numne belligerantes Reges fuerint saniores,
aut minus tales? Si fuerunt saniores, belligerando non Tyrannico
more victos hostes traxerunt ad suam religionem, sed potius legiti-
ma & concessa media adhibuerunt ad intentionem suam in actum
deducendam. Exemplo nobis esse potest Carolus Magnus, de eo e-
nim refert *Job. Pappo in Epitom. H. E. p. 94. seqq.* Quod Annos totos 33. lon-
gum & difficile bellum gesserit cum Saxonibus: Quodq; hisce sæpè
victis nullam aliam legem tulerit, quam, ut abjecta superstitione, ve-
rum Deum agnoscerent, & filium ejus Dominum nostrum Jesum
Christum. Cui lege ut eo commodius sese subjicerent, Carolus M.
Idola illorū Irminful, & Crodon non saltem delevit; sed ut & firmiores
radices Christiana religio in animis Saxonum ageret, magnam eorun-
dem partem, qui nempe transalbin habitaverant in Galliam duxit, as-
signatis iisdem sedibus inter alios Christianos. Quin & ipsa Saxonica
Gens de Deo rectè doceretur & assuefieret ad veram Dei invocatio-
nem; Ecclesias variis in locis condidit, eorundemq; curam & Guber-
nationem Episcopis viris piis ut & sanctis commendavit. Et hocce
exem-

exemplum maximopere deprædicandum, ne utiqvam probat hominem planè violento modo ad rectum cultum Deo præstandum esse trahendum. Si vero belligerantes fuerunt minus sani, ita quidem ut victos hostes traxerint ad rectum cultum Deo præstandum violentis manibus, vel etiam sub religionis prætextu saltem peregrinos populos subjugum imperii redigere conantur. Tunc sane ejusmodi nefarium inceptum contra nos nihil facere potest, multo minus nostram hæctenus propositam sententiam infringere, quoniam non ex factis (præcipue nefariis) sed potius secundum leges, ut & sanas rationes sit judicandum, quid faciendum aut omittendum. Hinc rectius ridet, quam quod ad imitandum proponat *Daniel Clasen l. suo de Religione Politica c. 4 num. 46*. Hispanos dilaudantes felices suos in propaganda religione successus apud Indos: cum istorum studium in convertendis gentibus, verborum magis licentia, quam veritate deprædicetur. Quam ob causam provocat etiam ad *Bartholom. de Casa in lib. de Tyrannide Hispanica in India occidentali*. Qui gentem Indicam, ait, esse pacificam instar ovium, non admodum opibus deditam, non ambitiosam, paucis contentam solitariam & quasi Eremiticam, contra quam venisse Hispanos tanquam lupi rapacissimi inter mitissimas oves, & non tantum ut lupi, sed & tigrides & leones,

§. XVII. Deniq; opposites adversarii asserunt, Hæreticos excommunicari jure posse, Ergo & occidi: cujus connexionis eam asserunt rationem, quod excommunicatio sit major pœna quam mors temporalis. Verum respondemus absolute negando excommunicationem esse majorem pœnam ipsa temporali morte: Nam & illi ipsi, qui nobis sese opponunt, nullam aliam causam adducere possunt, quare excommunicatio esset major pœna ipsa morte temporali, quam eam, si scilicet non sequitur excommunicati resipiscentia, tunc nimirum incurrere excommunicatum æternam pœnam. Quod ipsum tamen longe facilius accidere potest in irroganda morte temporali, hac enim si errans afficitur, tunc quia ei vel parum, vel nihil temporis conceditur perveniendi ad rectam viam, sanè facilius æternæ pœnæ reus fieri potest, quam tunc, quando excluditur à commione Ecclesiæ & sic ipsi ansa suppeditatur perveniendi ad saniolem mentem. Accedit, quod per mortis supplicium gravissimus dolor infligatur, uti hoc Exempla Martyrum satis superq; confirmant. Ex excommunicatione verò dolor in corpore nullus sentitur, nec illa in perniciem sed potius commo dum peccantis instituitur. Alia dubia pro adversariorum irrita sententia facientia, qui adducta pariter ac resoluta legere cupit, adeat

B. Meisner. part. 3. Philosoph. Sobrie Sect. 2. Quest. 6. Ut & tractatum illius de Legibus l. 6. Sect. 1. Quest. 19.

s
t
s
-
-
n
s
s
-
e
a
-
r.
le
m
is
-
n

-
it
-
-
-
vi
e
n,
m
n
m
i-
ri
fi
od
n-
rò
n-
ta
at

05 A 2495

ULB Halle

3


004 545 265



VD 17







STATE

ONIS,

IDIO
GEORGII

VICI,
nerani

abit
Brünenberg/
m.

Septembr.

88.
Veteri.



RGÆ,
SCHULTZII.